# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

# GONORRHŒA IMPURA,

COMPLECTENS.

# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS
QUÆDAM DE

# GONORRHŒA IMPURA,

COMPLECTENS;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE ADMODUM REVERENDI VIRI,

## D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


## GULIELMUS CRONENBERG,
E SANCTÆ CRUCIS INSULA.


---

Has patitur pœnas peccandi sola voluptas.

JUVEN. SAT. 13, CARM. 208.

---

*Calendis Augusti, hora locoque solitis.*


EDINBURGI:

EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

MDCCCXXII.

VIRO EXIMIO

ROBERTO ALLAN,

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. ET LOND.

SOCIO

DE ARTE CHIRURGICA

CLARISSIMO PRÆLECTORI

OB BENEFICIA MULTA IN SE COLLATA

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA CUM OBSERVANTIA

D.D.D. QUE

ALUMNUS.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

QUÆDAM DE

# GONORRHŒA IMPURA,

COMPLECTENS.

---

## PRŒOMIUM.

QUANQUAM morbus de quo hisce paginis disserere statui, nimis parvi momenti ad dissertationem medicam appareat aut mirum videatur me rem selegisse de qua alii haud parvi nominis jam antea scripserunt; tamen, ut malo morbum tractare, quem mihi sæpissime curare evenit, et cujus recentes et veteres effectus in corpus humanum magna copia fuit mihi videndi,

quam ex libris aut scriptis aliorum thesin seligere, spes in pectore orta est, me illa indulgentia donatum iri, quam tam multi, summos honores medicinæ consequi volentes, haud raro experti sunt.

Nec hoc malum adeo leve est ut plerisque placet; equidem fere omnes, utcunque inexperti, ad curationem sese pares jactant, sed plurima incommoda quæ inde sæpe profluunt, etiam cum cura maxima adhibeatur, nos admonere debet, gravem attentionem medici sibi vindicare, et multum experientiæ necessarium esse, quo ægrum morbo tuto et honeste eripere valeamus. Si varia mala organorum genitalium in fœmina, quæ Gonorrhœæ similia sunt, consideremus, facile videbimus hanc rem nostra attentione non adeo indignam esse, ac multi putant: Quam sæpe discrimen medici peritum hic requiritur, quo interruptionem felicitatis domesticæ minatam componat aut propria remedia huic morbo applicare, quem fœmina proba et immerito patiens malum putet, cui genus suum adeo objicitur.

Quot errores, quanta pericula hic ignorantia

inducet! et quas afflictiones et animi et corporis debita scientia nostræ artis removere poterit!—

In mare, hic morbus quem justa cura paucis diebus facile abstulerit, si temere tractatus, cohortem malorum inducere potest, quibus vix dies longissima levamen afferet. Illa organa corporis quæ maximi momenti sunt, fons et origo unde nova proles vitam hauriat fato communi obruuntur, et sic, malum quod primo intuitu leve et minus dignum videretur, brevi victimam in sepulchrum ante diem detrudit.

His paucis de re præfatis, nunc historiam morbi ingredior.

## HISTORIA.

Quo tempore Gonorrhœa genus humanum primo affligere cœpit, nulla certa monumenta nobis tradita sunt. Libri veterum auctorum etiamque sacra scripta morbi mentionem faciunt, qui signis, notis et descriptione, Gonorrhœæ

hujus diei similitudinem habet, et ex scriptoribus illius temporis, nobis fere pro certo habere licet, hunc morbum apud Romanos haud incognitum esse.

Multi Gonorrhœam et Syphilidem conjungere voluerunt, ut morbus una et eadem causa originem ducentes, et aliis persuadere conati sunt, hoc malum ac illud per idem tempus in Europa et Asia extitisse; sed si varios libros de re medica scriptos inspiciamus, nobis facile, ut opinor, apparebit, Syphilidem cum Gonorrhœa comparatam, in regionibus saltem veteribus notis, fere hesternam esse, et si ulla fides danda est, nos credere oportet, morbum de quo agimus Britanniam per sexcentos annos et fortasse multo amplius jâm occupasse.

Ex hoc nobis persuadere licet, Gonorrhœam per tempus indefinitum extitisse, et Syphilidem nisi post reditum Columbi ab India Occidentali, in Europa haud unquam apparuisse.

## SYMPTOMATA.

Quanquam Cullenus sua Nosologia morborum Methodica, varias species Gonorrhœæ notavit, tamen ut paginis sequentibus de illa disserere volui, quæ originem a coitu impuro ducit et cui nomen Virulentæ impositum est, indicia quàm paucissimis enumerabo quibus præsentiam hujusce mali in corpore humano facilius detegamus.

Humor puriformis, natura contagiosus, glandulis urethræ mucosis vel membrana hujus canalis investiente et de vagina cum dysuria profluens hanc speciem Gonorrhœæ profitetur; tertio vel quarto die post concubitum plerumque apparet, et in homine indiciis, quæ jamjam notabuntur, dignosci poterit.

Titillatio tractum meatus urinarii sed præsertim illam partem super frenum sitam occupans cum pruritu apicis glandis adventum prænunciat, cui urina reddita dolor tenuis subsequitur, labra urethræ tumida fiunt et secretio

inusitata apparet. Dolor et inflammatio augescunt, ardor urinæ severior evadit, aqua ipsa minore rivulo et frequentius quam antea emittitur, penis totus calore aucto occupatur, latus urethræ inferius dolore insolito afficitur, quæ formam et duritiem pennæ sæpe refert; erectio involuntaria nunc succedit et humor puriformis coloris flavi vel subviridis cito conspici potest.

Hæc symptomata alia aliis spatio paucarum horarum succedunt, sed tres vel quatuor dies intercedere solent a primo sensu ingrato donec humor puriformis palam erumpit.

Hic morbus fœminam nunquam adeo violenter ac hominem aggreditur, nec tanta cohors malorum subsequitur, nam in illa partes istas occupat quæ a natura ad prolem generandam datæ sunt, et ut urethra masculina tenerior et delicatior est structura vagina pericula quæ in homine a Gonorrhœa nonnunquam oriuntur, vix ac ne vix quidem in fœmina hoc morbo laborante unquam videntur.

In fœminis Gonorrhœa titillatione et sensu

ingrato apud ostium vaginæ indicatur, tumefactione labiorum majorum, Nympharum Clitoridisque, dolore et calore urina reddita, tum maxime aucto cum hoc fluidum partes inflammatas humectat, quæ affectio malum de quo agitur ab aliis quibus fœminæ adeo obnoxiæ sunt, plus quovis signo, contagio excepto, dignoscit. Cum morbus severitate insolita victimam aggreditur, humorem qui est ejusdem coloris ac in mare dolores vesicæ, uteri, dorsi et lumborum comitantur, et quanquam jam antea dixi fœminas eodem modo quo homines vix fere laborare, tamen etiam in illis inflammatio eo nonnunquam procedit, ut febrem symptomaticam cum tensione abdominis et pubis inducere valeat.

Violentia horum symptomatum constitutione ægri et propria irritabilitate partium affectarum plerumque pendet, vel ex magna parte originem ducere possint a morbo male tractato, necnon diu celato aut ab acrimonia peculiari puris contagiosi per quod malum inductum est.

## CAUSA EXCITANS.

Quanquam humor puriformis de urethra hominis et vagina fœminæ variis causis induci potest, veluti usu medicamentorum stimulantium, coitu nimis frequenti, frigore, duro labore et corporis debilitate, instrumentis chirurgicis iisdem viis introductis, injuriis et casibus organis genetricibus illatis, tamen iste humor vel fluxus qui Gonorrhœam virulentam constituit, originem ducit a viro peculiari specifico illæ membranæ mucosæ apposito, quæ urethram hominis et vaginam fœminæ investit.

De natura hujusce viri nihil disserere lubet, nec istam quæstionem, quæ aliquos occupavit movere volo, necne venenum quod Gonorrhœam evocat, sit idem ac illud quod Syphilidem producit, sed si meam sententiam mihi liceat dare, putarem hæc duo mala diversæ naturæ esse, et alterum contagio specifico originem ducere, multum alieno ab illo quod alterum excitare solet. Gonorrhœa utcunque

violenta vel perstans, systema nunquam contaminat, malum locale semper manet, et quum inflammatio specifica, qua fluxus evocatur, quiescit, vim propagandi amittit; imo, post certum tempus, secundum asperitatem morbi et statum corporis, sua sponte evanescit et curatio voluntaria sine ullo remedio perficitur; sed Syphilis quanquam primo localis, serius aut citius totum corpus infestat, varias formas induit, nec sine ope medicinæ sese unquam evelli permittit.

## DE CURATIONE.

Prognosis nostra de Gonorrhœa fausta erit et curatio facilis et simplex, quum irritatio et inflammatio cum sequelis nec violentes nec diutinæ fuerint; sed res se aliter habebunt, cum inflammatio tractum urethræ occupat, cum sanguis humore admixtus erit, cum testes, vesica, glandula prostata et inguinales laborabunt, aut si æger temperamenti sanguinei, aut constitutionis irritabilis erit, tunc morbus plus-

temporis ad curationem requiret, quam si formam mitiorem induisset.

Omnia mala venerea, præter Gonorrhœam, contra quæ nulla medicina data est, constitutionem perdunt et evertunt; hæc sola sine auxilio cessare potest, præsertim si dum corpus infestat, æger rectè et temperatè vitam agat; sed ut magnopere interest, quodvis malum e corpore quam citissime depellendum prudentis medici erit, ad illa remedia confugere quæ peritia et experientia sua maxime commendabunt.

Nulla ratio curandi inter homines adhuc convenit, qua sola Gonorrhœæ obviam eatur, nam variæ gentes et varii medici habent quisque varia remedia quibus contra eundem morbum uti solent. Unguentum Hydrargyri, Alcohol dilutum, aqua frigida et vegetabilia vi astringente prædita approbationem aliorum acceperunt, dum alii, Solutionibus Sulphatis Zinci et Acetitis Plumbi vel puris vel Opio junctis fidem imponunt. Murias Hydrargyri, Murias Ammoniæ, Sulphas Cupri, Nitras Argenti so-

lutione adhibita, utilissima reperta sunt, necnon usus internus balsami Copaibæ, piperis Cubebæ et Spiritus Ætheris Nitrosi hoc malum sæpissime tollit. Hæc omnia remedia proposita sunt vel ad mutandum vel frangendum naturam veneni per quod morbus inductus est, vel ejus actioni resistendum, irritationem membranæ urethram et vaginam investientis minuendo, vel ut quodvis acre e corpore evehatur, vel ut symptomata inflammationis quæ adsunt, quam maxime sopiantur. Sales metallici jam dicti locum primum ac proximum nec immerito in curatione occuparunt, sed ut variæ actiones quas morbus assumere potest, varias rationes medendi cuique proprias postulant, sic in hac dissertatione, animus fert, malum de quo agitur in tria capita redigere, et illa remedia quam breviter indicare, quæ acuto, medio et chronico stadio optime respondebunt.

Stadium primum seu acutum dolore partium, ardore urinæ, Chordæa et aliis signis inflammationis facile dignoscitur; dolor nonnihil imminutus, urina liberior et gratior reddita, sensus molestus cum inflammatione retrogressus, no-

men stadio medio imponunt, dum tertium haud ulla signa morbi, præter fluxum habebit.

Primum ex his stadiis calidas injectiones anodynas, et cataplasmata emollientia accipere debet, vel partes affectæ calida solutione Acetitis Plumbi cum Opio juncti, vel aqua pura calida, ter quaterve in dies mersendæ sunt, et si hæc inefficacia reperiuntur ad missionem sanguinis sine mora confugere oportet. Stadio secundo injectiones frigidæ et vi astringente haud magna præditæ adhiberi debent, dum tertium validis, et quidem stimulantibus gaudere solet.

Stadium Gonorrhœæ acutum gravissimam attentionem medici sibi vindicabit, nam partes valde inflammatæ et irritatæ, si opera non recte et propere detur, magnum periculum sibimet afferent, et sic curatio in diem longinquum vel ducetur, vel tanta et tam dira cohors malorum evocabitur, qualem nec ars aut medicina facile devincet. Huic stadio igitur, frigidæ injectiones vel vim magnam astringentem possidentes nequaquam convenient, quia stricturam canalis urinarii inducere amant, inflammationem

jam satis molestam ulterius intendunt, et hanc actionem per totam urethram excitando, moles Testium incrementum accipit, glandula Prostata cum Vesica inflammatur, omnia signa graviora evadunt et sic decessus morbi retardatur. Penis et Testes stadio acuto thermulis jam antea commendatis immergi debent, et Urethra formula ex decem vel duodecim granis Opii et sex unciis aquæ composita, cui aliquantulum Solutionis Acetitis Plumbi vel Sulphatis Zinci adjiciatur crebro perluenda est; hoc quoque tam calide quam æger ferat, utendum est, et si dolor et erectiones involuntariæ adhuc victimam lacessant, Opium et Camphoram vicibus partitis præscribere juvabit, necnon e re multum erit, si æger potus blandos, mulcentes et diluentes, quibus ardor urinæ levari possit, in ventriculum dimittat.

Si his curis morbus spernit et illudit, si pars posterior Urethræ vel Vesica ipsa laborare inceperit, ad auxilium potentissimum, quo morbo obviam eatur, vel symptomata molestissima leventur, sine mora confugiendum est. Hirudines Perineo appositæ et sanguis e vena bra-

chii missus, maximam et certissimam spem suppeditabunt, sed omnis exercitatio utcunque levis evitari debet, regimen antiphlogisticum præscribendum est, et remedia laxantia adhiberi oportet, sed memoria semper tenendum est, sales aut medicamenta, quæ urinam acriorem redderent, usu nequaquam digna esse, dum potus blandi et diluentes per gulam sumpti et enemata anodyna per Rectum immissa ægro plurimum proderunt.

Hac ratione medendi inflammatio cum irritatione paucis diebus fere semper resolvi solet, et morbus tunc ad stadium secundum reductus, remediis jamjam notandis gaudebit.

Quum hæ medicinæ, quæ magna vi astringente aut stimulante præditæ sunt, secundo stadio Gonorrhœæ nequaquam convenirent, inflammatione et irritatione nimirum modo repressis, iis remediis utendum est quæ viribus jam dictis non adeo pollent, donec partes affectæ ita sopiantur, ut medicamenta stadio tertio idonea, nobis exhibere liceat. Opiata solutione igitur ad gradum frigidum redacta vel Rosæ centifoliæ per tres duosve dies utamur,

et si hæc nullam injuriam inducant, magis astringentia in auxilium venire jubemus, quibus usibus Infusum Rosarum Gallicarum, mitis solutio Aluminis vel Sulphatis Zinci maxime respondebunt. In hoc stadio, diluentia et mulcentia intermitti debent, sed e re multum erit, si paucæ guttulæ tincturæ Opii vel aliquantulum Balsami Copaibæ ter in dies porrigantur.

Morbo hac cura et prudentia ad stadium tertium redacto, vim injectionum gradatim augere oportet, ut quam primum sine ullo incommodo ægri, fluxus humoris ex partibus desinat.

Ad hanc rem solutiones antea commendatæ viribus auctæ sufficient, sed Sulphas Zinci, formula duobus granis salis cum uncia aquæ composita, ex omnibus maxime conveniet, et si nihil mali inde profluat, vim solutionis paulatim augeamus, donec semiscrupulus salis cum quantitate aquæ jam dicta misceatur.

In hoc stadio morbi, nulla medicamenta internè adhibenda sunt, propterea quod solutio fluxum penitus cohibere poterit, sed quia exercitatio valida, intemperantia cujusvis generis et similes causæ reproducere valent, hæ quidem

evitari debent, et solutio paulatim mitior reddita et rarius adhibita per octo decemve dies postquam humor evanuerit, injici oportet.

Quum morbus fœminam occupavit, iisdem medicamentis ac homo gaudebit, sed injectiones multo validiores sine metu reddere possimus, qui Vagina quæ tam sensu acuto quam Urethra masculina haud prædita est, sedem malo maxime præbet, et etiamsi meatum urinarium fœminæ infestaret, brevitas canalis et nulla glandula Prostata illa pericula avertent quæ hominem aliquando graviter opprimunt, si vis medicamentorum istum modum superet quem partes affectæ tuto tolerare poterunt.

Quod ad alia remedia pertinet quæ contra Gonorrhœam proposita sunt, parum quod dicerem habeo, sed hic dignum memoratu fortasse erit, me hanc affectionem in omni statu usu interno piperis Cubebæ summovisse, uncia in quibusdam casibus ad curationem satis valente. Duas drachmas pulveris cum aquæ frigidæ pauxillo ter in dies præscribere soleo, et ut nihil incommodi et usu evenit, major adhuc copia tuto forsitan daretur, necnon multum

boni afferet si æger sese quiete ac temperate habeat, et morbo præsente et per aliquot dies postquam humor exudare cessavit.

Alia remedia internè sumpta quæ in Gonorrhœa utilia inveni, ex Balsamo Copaibæ et Spiritu Ætheris Nitrosi constant; et formula quæ summo auxilio iis hoc malo laborantibus fuit ad hunc modum componitur. Unciam utriusque horum recipio et misceo, addens Tincturæ Opii guttas centum et viginti. Drachma hujus misturæ cum haustu Infusi Lini vel Mucilaginis Acaciæ Arabicæ ter in dies porrigenda est et ægrum omni molestia cito ac tuto liberabit.

Injectiones ex Nitrate Argenti ratione, unius scrupuli ad unciam aquæ, in curationem hujusce mali nuper commendatæ sunt, et ex tabula confecta in decimo quarto tomo de rebus medicis et chirurgis edito sub auspiciis nostri venerabilis Professoris Doctoris DUNCAN natu majoris, apparet viginti milites Gonorrhœa laborantes singulos spatio octodecim dierum, hac formula curatos esse.

Usus hujus præparationis apud militares adhuc maxime valuit, sed mihi quidem videtur

remedium adeo validum tales sequelas inducere posse, quales mitiori sed satis efficaci haud accidere solent.

Omnibus meis observationibus de natura, indiciis et curatione Gonorrhœæ Virulentæ jam præfatis, nihil mihi reliqui nunc restat, nisi varia mala quæ inde fere profluunt quam breviter exponere et igitur imprimis

## DE GONORRHŒA MUCOSA.

Quanquam Gonorrhœam in tria stadia divisi, tertio quorum nomen Chronici datum est, tamen hoc titulo illam speciem morbi non intelligi volo, quæ a Doctore Cullen Mucosa et Anglice *Gleet* appellata est.

Humor mucosus, unde morbus originem nominis trahit, post concubitum impurum, Urethra vel Vagina cum dysuria exudans, hanc speciem Gonorrhœæ designat, sed quanquam impuritatem subsequitur, morbum haud propagare valet, nec inflammatio aut ardor urinæ sese comites jungunt.

Quum corpus Gonorrhœâ Virulenta per aliquod tempus laboraverit, fluxus gradatim minuit et vel tandem sponte cessat, vel affectionem de qua agitur format, et si hæc naturæ viribus relinquatur, per aliquot menses et etiam annos durare potest, vires constitutionis et præsertim facultatem propagandi plurimum minuens. Eandem sedem ac Gonorrhœa præcedens plerumque occupat, et videtur oriri ex debilitate et relaxatione glandularum vel membranæ mucosæ quæ Urethram et Vaginam investit, vel remediis parum idoneis vel negligentia ægri ipsius inducta.

Varia remedia ad curationem hujusce mali proposita sunt, veluti injectiones stimulantes, introductio in Urethram instrumenti istius cui nomen Bougie datur, aura Electrica ad tractum Meatus urinarii applicata, usus internus Tincturæ Cantharidis Vesicatoriæ et medicamentorum Roborantium necnon Vesicatoria Perineo opposita levamen attulerunt.

Ex primo genere horum, solutiones Sulphatis Zinci aut Cupri adhuc validiores quam quæ tertio stadio Gonorrhœæ impuræ commendatæ

sunt, aut mitis solutio Muriatis Hydrargyri, granum unum scilicet in aquæ fontanæ unciis duabus solutum optimæ reperientur. Si Tincturam Cantharidis anteponamus sex guttæ ter quaterve indies porrigendæ sunt, dosi quaque gradatim aucta, donec organa quæ secretioni urinæ inserviunt, symptomata irritationis ostendere incipiunt et ne ventriculus cum Intestinis ex usu ejusdem laboret, satis magna copia aquæ simul hauriri debet. Ex classe Roborantium, Cinchona et Ferrum cum balneo frigido et diaeta lauta utilissima erunt.

Si malum his rebus haud superari poterit, tunc vesicatoria sæpius repetita Perineum applicari debent, et instrumentum antea dictum in Urethram immitti oportet. Hoc nocte et mane ingerendum est, et per aliquod tempus detinendum, donec calorem cum levi dolore excitat, dein extrahi decet, et irritatio sic inducta actionem membranæ quæ meatum investit ita mutare solet ut humorem meliorem exudet, et ad statum sanum gradatim redeat.

## DE PHYMOSI.

Quum apertura Præputii ita contrahitur ut nec retrahi possit nec glans in aspectum veniat, malum nomen Phymoseos accipit. Duæ species hujusce affectionis sunt, altera inflammatione et irritatione Præputii rebus externis inducta, altera naturalis et congenita dicta, quæ ideo locum hac dissertatione non habebit.

Prior species ex viro syphilitico aut quovis acri inter Glandem et Præputium inserto plerumque oritur. Pars ardet et tumescit, et illi quibus arctius Præputium aut brevius frenum datur, huic malo magis obnoxii sunt.

Si Phymosis ex viro syphilitico inducitur, remedia quæ inflammationem quam citissime resolvant longe optima reperientur, vel lotiones Saturninæ inter glandem et Præputium injectæ, vel Cataplasmata quæ totum Penem circumdent, quibus purgantia cum quiete jungantur; sed si ulcusculum Chancre nominatum partes infestare putetur, dein Hydrargyrus cum

remediis jam dictis præter purgantia adhiberi debet.

Si Chancre non adest et partes Gonorrhœa sola intumescant, si remedia antea commendata minus idonea reperiantur, præputium vel findi vel ex Pene sejungi oportet.

## DE PARAPHYMOSI.

Quum præputium pone Glandem retrahitur nec reduci potest tunc affectio Paraphymosis appellatur. Multo plus periculi ex hoc quam ex Phymosi oriri poterit, nam præputium quasi stricturam circa glandem format, quæ sic strangulata evadit; et ut gangræna partis brevi spatio temporis hoc modo inducta est, in aperto erit, auxilium efficax quam citissimè adhibendum esse.

Lotiones Saturninæ huic malo plurimum boni suppeditant, sed ægrotans semel levari potest Glandem inter digitos comprimendo, quæ deinde per stricturam præputii retrorsum detrudi oportet.

Si hoc frustra fuerit, hirudines Glandi applicari debent, Penis aqua calida, quo fluxus sanguinis augeatur, mersendus est, et reductionem per digitos iterum tentare oportet.

Si hæc nihilominus haud efficacia reperiantur, illa pars præputii quæ stricturam format, pone Glandem incidenda est, quo solo a gangræna caveatur.

## DE INFLAMMATIONE TESTIUM.

Quum Gonorrhœa male tractetur vel quum æger frigori aut exercitationi immodicæ expositus fuerit, Testes dolore, inflammatione et tumefactione afficiuntur.

Dolor obtusus in Inguine, tractum Chordæ Spermaticæ usque ad Scrotum sequens, adventum hujusce mali prænunciat. Chorda brevi tempore densata sentitur et Scrotum lateris affecti tumidum et inflammatum apparet. Omnia symptomata inflammationis cum duritie ac dolore nunc Testes occupant, et incrementum immane accipiunt; generalis excitatio, dolor

lumborum, nausea et pyrexia accedunt; si æger viribus corporis gaudeat, pulsus validus, durus et frequens evadit, si constitutio sese aliter habeat, tunc debilis et sæpe micat.

Quidam auctores hunc affectum consensui inter Testes et Urethram attribunt, dum alii contendunt, originem trahere ex inflammatione morbi primaria usque ad Testiculos per Vas Deferens serpente, et ut fluxus ex Urethra plerumque cessat, quum Testes ampliati evadunt, creditum est ab iis qui Pathologiæ humorali favebant, Gonorrhœam repulsam esse et Testes occupâsse.

Optimum consilium medendi erit quam citissime inflammationem imminuere, ad quod detractio sanguinis e vena, et per hirudines Scroto applicatas maxime valebit. Partes affectæ quoque ter quaterve in dies calida Saturnina vel Opiata solutione immergendæ sunt, vel vapori aquæ calidæ per minuta viginti subinde objiciendæ sunt, Purgantia et regimen antiphlogisticum præscribi oportet, et se irritatio magna sit, nonnihil levaminis afferet si Anodyna per Rectum emittantur, aut si Opium vel

Extractum Hyosciami parva quantitate per os sumatur.

Usu horum remediorum pericula quæ imminent ex magna parte arceri possunt, et fluxus qui prius cessaverat, nunc sese iterum ostendere inceperit, quo æger dolore et molestia levatur.

Si suppuratio vel gangræna Testium accedat, quod quidem rarissime evenit, functiones horum organorum per vitam delentur; sed sæpe indurati et ampliati manent, aut fluidum inter tunicam vaginalem et albugineam effunditur, ad quod summovendum operatio Hydroceli commendata fortasse requiretur.

## DE OPHTHALMIA GONORRHŒALI.

Sunt duæ distinctæ species Ophthalmiæ quæ originem ex viro syphilitico trahunt, altera ex Gonorrhœa proveniens, dum malum istud, cui nomen Luis Venereæ datum est, alteram speciem evocat.

Omnium causarum quæ Ophthalmiam inducunt, nulla tam grave periculum adfert quam

illa quæ per Gonorrhœam excitatur, et ut plerumque apparet, fluxu ex Urethra cessante, medicis persuasum est, hanc affectionem ex Metastasi oriri.

Hoc malum oculos subito et violenter aggreditur; ista pars Conjunctivæ quæ palpebras investit, non solum densata evadit, sed sæpe adeo protruditur ut Corneam occultet, et vasa serosa istius partis ejusdem membranæ, qua globus oculi tegitur, sanguine rubro penitus complentur. Violentia morbi augetur, et ut structura partium adeo delicata est, sanguis cito inter hanc tunicam et Scleroticam effunditur, quo oculus tumidus et carnosus apparet. Ars aut medicina nihil proficiens, Cornea mox redditur opaca vel ulcere occupatur, quod exitum humori aquoso præbet, et malum ingravescens, miser tandem lumine orbatur.

Variæ rationes propositæ sunt, quibus hoc malum vel levari vel sanari possit, et dum alii iis rebus fidem imponunt, quæ acuto stadio communis Ophthalmiæ commendatæ sunt, alii putant nihil nisi fluxum ex Urethra reproductum, ullum auxilium afferre posse, et igitur no-

bis suaserunt, instrumentis Bougies dictis ter quaterve in dies per semihoram introductis, humorem latentem evocare. In quibusdam exemplis nova infectio Gonorrhœæ, flüxum ex Urethra efficiendo, oculos discrimini eripuit.

His sequelis quædam aliæ interdum accedunt, sed ut sorti Chirurgi eveniunt vel minoris momenti sunt quam quæ jam memorantur, finem huic dissertationi facio et calamum igitur lubenter depono.

FINIS.